

admoto igne tentes, in modum tædæ accenditur, alitq; flamمام pinguem & solentem: mox, vt in picem resinam- ue, lente scit. Hæc ille.

Verūm, si quis hæc singula exacta collatione ponderet, is facilè se conuinci patietur. Si enim ex arboribus vel alijs plantis deflueret, tunc vel ex vnius, vel diuersorum generum arboribus destillaret. Si ex vnius, siue populi, siue pini, seu cedri, impossibile foret, eam tot colorum species assumere: impossibile quoq; foret, in tanta copia sudare arbores, in quanta succinum reperitur. Sin ex diuersis arboribus vel plantis, tunc vires succini quoq; non minus variarent, quam diuersarum arborum resinæ, quæ nō diuersas modò, sed contrarias sæpe vires sortiuntur, cum succini differentiæ viribus nunquam pugnant.

Resinis insuper vel omnibus vel plerisq; certè amaritudo quædam inest, quam defugerent potius animalia &